DEO OPTIMO MAXIMO
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.



QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS,

manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis vigesimâ tertiâ mensis Januarii, anno Domini MDCC. LXXVII.

M°. GUILLELMO-JOSEPHO DE L'EPINE, antiquo Facultatis Decano, Doctore Medico, Præside.

An Temperamentorum varietas potiùs à victûs genere, quàm à Solo & Cœlo repetenda?

I.



UAM miranda corporis humani fabrica! quàm veri sapientis scrutatione digna ejus constitutio! non minùs uberem speculationibus & ratiociniis ansam præbet nobilior mens nostra; amplam cognitionum messem spondet iis quibus attentè imperium ejus in corpus humanum pensare animus est: hæc est vera scientia, hic fons & origo sapientiæ: alii sub dio Cœlos & sidera legant, alii Algebram diù noctùque vigiles sectentur, brevì ad utiliorem Physicam reducent catarrhus & podagra, auxiliique repetendi dura coget necessitas. Humana corpora si inattentè conspexerimus, nullas vel saltem paucas inter se differentias primâ fronte exserere videbuntur; Anatome ipsa non nisi facem subobscuram & tremulam in inquirendâ corporum naturâ subministrat. Hâc duce quid cernimus? fibras, nervos, vasa, semper idem partium servatur ordo, eadem figura, dispositio; hæc observare queunt rudiores homines non secùs ac ingenii acumine magis insignes. Sed si intimiora naturæ humanæ perscrutemur, si singulorum inter se hominum comparatio instituatur, ingens inter eos elucet discrimen; huic corpus torosum robore pollet ac viribus, illi lurida facies debile corpus adesse monstrat, alter exquisitiori *sensibilitate* donatur; dum econtrariò conspicias cui sint sensus obtusiores nulloque suscitandi stimulo: vix demùm duos reperias homines ità naturâ ac temperie similes, quorum unicuique peculiaris non sua sit *idiosyncrasia*; hanc privatam constitutionem *temperamenti* nomine appellarunt veteres Medici; verum tamen cum varia temperamenta aliquà certam inter se similitudinem inducant, & intrà pauciores classes coarctari possint, Medicinæ parentes ea ad quatuor revocarunt, *sanguineum* nempè, *pituitosum*, *biliosum* & *melancholicum*; cum autem rarò simplex in uno subjecto reperiatur temperamentum, composita indè enata compositum

ex ſimplicibus retinuere vocabulum, ſic *bilioſo-melancholica* temperies ex bilioſâ & melancholicâ conjunctis dicta fuit. Ne tamen credas nativam in omnibus remanere craſim, quin imò vix in quibuſdam pauca ejuſdem reperias veſtigia, quaſi mutatus ſit homo totus: cauſam quæris? In promptu eſt; varium vitæ genus corporum conſtitutionibus variandis aptius & frequentius eſſe modò mecum ſenties; ſuum tamen hìc ſymbolum conferre ſoli naturam, ſitum, nec non & peculiarem Climatis temperiem non imus inficias.

I I.

ITA à naturâ conſtituti ſumus ut corporum impreſſiones ſenſim nativæ temperiei indolem alterare valeant, atque non ſecùs ac cera impreſſam à ſigillo effigiem accuratè reddit, ſimili propè modo mutationes à corporibus externis in noſtrum factæ, horum naturam ſemper aliquatenùs redolent; enimverò neminem fugit corpus humanum conſtare fibris & humoribus; priores vi motrice pollentes humorum circuitui ſecretionique invigilare; poſteriores autem fluiditate & naturâ donari quibus horum diſtributio partiumque nutritio ritè perficiantur: quamdiù actiones illæ conſtanti eodemque tenore exercentur, idem perſtat corpus, ſublato verùm æquilibrio mutatur; imminuatur, v. g. vis ſolidorum vel plus æquo augeatur, fluida vaſis torpent vel ultrà metas efferuntur. In hâc autem rerum naturâ, à primo vitæ limine uſque ad fatum ineluctabile, quanta occurrunt quæ nativam temperiem laceſſant & à ſede ſuâ deturbent? Ne nauſeam moveat ſingulorum enumeratio, vide quam diffideant naturâ & temperie ſub cœlo gelido Lappones perpetuò rigentes, & Afri ab æſtu igneo quaſi torridi, nunquam ab eadem origine egreſſos dicas. Si ſpectes ſoli naturam, cauſa quidem eſe offert altera quæ hominum temperamentis non paucas afferat mutationes; aliud eſt lares ponere in regione putridis lacuum & paludum effluviis ſpurcâ, aliud in loco excelſo & ventis perflato domum exſtruere; in priori caſu pituita ingeneratur, humores ſordidâ colluvie inquinantur & homines ſquallore fœdiſque tumoribus deturpantur. Ècontrariò qui ſolum ſiccius habitant, humores habent magis exaltatos, corpus leve & alacriori præſtant ingenio. Ex hoc duplici cauſarum fonte ſcaturiunt quidem quædam generales temperamentorum varietates, at cæteræ generales necnon & omnes ferè peculiares ab eodem derivari non poſſunt; fidem negas? dictis ipſa ſuppetit obſervatio; nonne in eâdem regione, ſub eodem cœlo incolarum temperamenta ſingula à ſingulis differunt (remanentibus tamen ſemper conſtitutionis huic regioni propriæ veſtigiis)? Undè petenda ſit tot & tantarum varietatum cauſa ſuprà jam dictum fuit: harum varius ſcilicet vivendi modus, diverſique hominum mores ſat fæcundum indicant fontem; opinionem noſtram confirmabunt ſequentia.

I I I.

HOMINES in quâlibet conditione contemplare, ſingulis planè peculiarem & ab aliis diverſiſſimum reperias vivendi modum: uniuſ-cujuſque victûs rationem explanare non vacat, nec minùs indubiæ veritatis ſigillum noſtræ apponetur demonſtrationi, ſi tantùm præcipuas differentias quas ipſa hodierna conſecrat obſervatio ad aſſertionem enodandam attulerimus, ſi demùm pateat quomodò ex illis differentiis hæc vel illa originem ducant temperamenta. Confer inter ſe agricolas urbiumque cives, quâm diſpar inter hos & illos temperamentum! Hi fœmineâ cum facie pingue & debile corpus gerunt, labori minimo cedunt defatigati; illi vultu ſubruſo, membris toroſis & robuſtis diſtinguuntur; rure demum bilioſa, bilioſo-ſanguinea fiunt temperamenta; urbis verò incolæ ad temperiem pituitoſam humidamque magis diſponuntur; undè tanta diverſitas, niſi à

diverſo victûs genere ? Agricolarum enim victus ſimplex, rudis, duri ſæpèque repetiti labores fibras corporis firmant, humores puriſſimos energiâque debitâ pollentes gignunt : contrà divites quibus dedecori labor eſt, qui famis neſcii, gulæque vilia tyrannidis mancipia, conditis palatum reſuſcitare tentant dapibus; qui tumultuoſis ſæpè exagitantur animi pathematibus ; nil mirum ſi indè orti humores crudi pravique fibris eamdem deindè labem inurant & optimam indolem ſensìm in peſſimam convertant. Cur humidâ polleant temperie timidumque imbecilli in corpore animum gerant fœminæ, certè non niſi ab earum vitâ molli & deſidioſâ deducas; mutetur infantes educandi modus, virilem & robuſtam indubiè nanciſcentur conſtitutionem ; teſtor agreſtes mulieres duris virorum laboribus & exercitiis aſſuetas. Quid plura ? Sint duo infantes ejuſdem ætatis ab iiſdem parentibus ſanis vegetiſque prognati, ſed methodo planè contrariâ educati; alter nempè, vitam agreſtem & liberam colat ; ſolis ardores brumamque glacialem aſpernari ſolitus, ludis, curſui, equitationi alternis ſeſe exerceat : alter autem, uti mos eſt hodiernus, ſolis æſtus & frigus omne ſollicitè devitet ; ſtudio librorum ingrato pertæſum non liceat recreari ludis & corporis exercitationibus : quid, quæſo ; exindè conſequetur ? Ille certè floridâ lætus juventute validam & conſtantem aſſequetur temperiem; dùmècontrario hujus nativâ conſtitutione vitiatâ, ſuccedet alia pejor, debile corpus, vitrea valetudo; inſtitutam comparationem nimis frequens confirmat experientia.

I V.

SI Medicorum libros interrogemus, ex iis conſtare videtur multiplex morborum agmen ſæpiùs ex errore in conſueto victûs genere originem traxiſſe ; undè, ni fallor conſequitur pleroſque morbos conſiderari debere tanquam effectus nimis promptos à victûs modo perturbato prodeuntes ; mutatione enim inſolitâ quaſi obruitur natura, omniſque mutatio repentina peſſima : at ſi error in regimine inſufficiens eſt ad morbi generationem, alterationes tamen quaſdam paulatim inducet temperiei, & iteratis erroribus ſæpèque mutatâ vitâ, ſenſim prima vitiabitur conſtitutio,novaque è ruinis exſurget. Non hic mera mentis delirantis hypotheſis, magna nimis, eheu, dictorum veritatem confirmant exempla : etenim ut ſileam allatas mutationes quas diverſum vitæ genus offert in agricolarum, & urbanorum &c. Temperamentis; quot gentes quæ, dum ſimplices honeſtique vigebant mores, nomen ab orco diù tutatæ ſunt & non ſine gloriâ militaverunt! At primis fugatis quocumque modo moribus corruptiſque inductis, dedere brevi ſuæ pœnas ignaviæ oblivione æternâ ? Quamdiù Romani ſeveram morum gravitatem vitæque ſimplicitatem in honore habuerunt, gloriæ culmen attigere, orbique ferè univerſo leges & jura dare meriti ſunt ; poſtquam autem Aſiæ victæ exuvias Romam retulere, tunc incubuit luxuria, orbemque victum ulciſcitur; jam priſtina evanuit morum ſimplicitas, vitâ molli omnique deliciarum genere enervata fuere corpora, undè in dies famâ & virtute decreſcere cœperunt, orbiſque tandem imperium amiſere. Sed quid aliena quæram exempla dum ipſi ſuppeditant Galli ? Quantum eheu, à patribus hodiè diverſi ! Audias Cæſarem ipſum in Commentariis : *Hominibus Gallis*, inquit, *præ magnitudine corporum ſuorum brevitas Romana contemptui eſt*; & alibi *; Horum corpora mirifica ſpecie amplitudineque, cæſa toto campo ac proſtrata diversè jacebant.* Collaudat idem ingenia Gallorum candida & aperta, vitamque frugalem; miratur pro patriâ & libertate amorem, horum fortitudinem plus ſemel expertus : quis hodiè patres in nepotibus agnoſcet ? Quò abiit miranda hæc corporum amplitudo tantuſque vigor ? Ubinam ſimplicitatis priſtinæ candoriſque veſtigia ? Quibuſnam in pectoribus æſtuat fervidus amor patriæ ? Non tamen mutata eſt regionis natura, idem Galliæ ſolum, idem cœlum ; ambages hic ſuperfluæ : nodum ſolvit mutatio

in victûs genere, in moribus ; nunc effrænata libido, intemperantia, coquorum ars venefica, corporum ruinam certatìm adoriuntur ; lues immunda avis ignota fontes vitæ & generationis inquinat. Quid igitur impedit quominùs cum Celso dicamus? *Desidia & luxuria hæc duo vitia apud nos corpora vitiarunt.*

V.

QUIDAM incassum nostram arguent sententiam, cum à cœlo, scilicet, solique naturâ derivari omnes temperamentorum varietates, sexcentisque confirmari posse asserunt exemplis: bona verba reor, sed quæ falsi arguunt observatio & experientia : judicem appello unum quemque verum sincerè investigantem, par ne institui possit comparatio ? An unquam aëris etiam impurioris inclementia tot & tantas edidit strages quam gula libidinumque temperatiori in regione effrenata cohors ? Prætereà si reverâ soli cœlique natura, præcipua temperamentorum varietatis esset causa, magis inter se convenirent in eâdem regione temperamenta : non me latet Gallos peculiari temperamento semper ab aliis populis discriminari ; at reipsâ etiam nonne omninò diversum est vitæ genus, nonne planè diversi mores ? Instabunt, gentis mores vitæque genus à solo & cœlo ac proindè temperamentorum varietatem, originem sumpsisse ; satis superque argumentum diluit instituta superiùs inter hujus ævi Gallos & majores nostros comparatio. Ex prælibatis igitur constat ad melius comparandum temperamentum non alias longè petendas esse regiones, non alia quærenda sidera, sed tantum mores vivendique modum, esse mutandos. Stet itaque inconcussa conclusio nostra:

Ergò Temperamentorum varietas potiùs à victûs genere, quàm à Solo & Cœlo repetenda.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Ludov.-Gilbertus BOYROT DE JONCHERES.

M. Cosma - Augustinus LÉZURIER.

M. Joannes-Stephanus GUETTARD, *Regiarum Academiarum Parisiensis, Rupellensis, Florentinæ & Stokolmiensis Socius, Censor Regius & Historiæ Naturalis Musæi serenissimi Ducis Aurelianensium Custos.*

M. Carolus SALLIN, *Consiliarius Medicus Regis ordinarius in ejus castelleto.*

M. Nicolaus JEANROY, *Bibliothecæ Facultatis Præfectus, Regii Medicorum Collegii Nanceianorum Socius honorarius.*

M. Natalis-Maria DE GEVIGLAND, *Rei Herbariæ Professor, Regiorum in Germania Ducum & Militum Nosocomiorum nuper Medicus.*

M. Simon VACHER, *Regis Exercituum in Insulâ Corsicâ Medicus primarius.*

M. Achilles - Guillelmus LE BEGUE DE PRESLE.

M. Carolus-Franciscus BOUTIGNY DES PRÉAUX.

Proponebat Parisiis GUILLELMUS MICHEL, Stenacæus, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, Theseos Auctor. A. R. S. H. 1777. A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi. 1777.